



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi  
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1617**

Sectio prima. Vtrum Christus in viæ statu vere, ac proprie orauerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)



utroque aliqui d' infrā dicemus in secundo tomo. De oratione igitur Christi duo breuiter explicanda sunt, aliud ad statum viatoris, aliud ad statum comprehensoris pertinens.

## SECTIO I.

*An Christus in statu viæ verè, ac propriè orauerit.*

**O**ratio generaliori quadam significatione significat omnem actum interiore, qua anima in Deum eleuatur per contemplationem, vel meditationem, deuotionem, aut similes actus, & si hoc modo sumatur oratio, non est quod disputetur, an in Christo fuerit, cuius anima perfectissima contemplatione in Deum ferebatur, non solum per beatam fruitionem, sed per scientiam etiam infusam, & liberum charitatis actum, ut in superioribus satis tractatum est. Alio ergo modo magis proprio sumitur oratio, ut significat petitionem, seu postulationem, aut supplicationem, que includit obsecrationem, & gratiarum actionem, & alios actus similes, ut D. Thom. exponit 2. 2. quæst. 83. artic. 7. & de hoc etiam genere orationis certissimum est, Christum Domini in via existentem sepius illam exercuisse. Quod enim gratias egerit Patri seu Deo, frequenter in Evangelio legimus, Luc. 22. *Accepto calice & pane, gratias egit.* Ioan. 11. *Pater gratias ago tibi, quia audisti me.* & Matth. 11. *Confiteor tibi, Pater, Domine celi & terre.* Ioan. verò 12. petit Christus, *Pater, clarifica nomen tuum.* & cap. 17. longam habuit orationem similem, & postea in horto, ac tandem in Cruce. Ac denique Paul. ad Hebr. 5. *In diebus, inquit, carnis sue preces supplicationesque adueni, qui posuit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quæ omnia, sicut propriè dictum genus orationis significant, ita propriè intelligenda sunt: sicut ab vniuersa Ecclesia, & omnibus Patribus, & Theologis intelliguntur, & ipsa Scripturæ sinceritas & historiarum veritas postulant. Quomodo autem Christus ut homo capax fuerit huius orationis satis, explicando articulos D. Thom. declaratum est. Cur autem decens fuerit ipsum orare, satis ex honestate ipsius met actus orationis perspicui potest: continet enim decentissimum Dei cultum, & idè per se conueniens fuit, ut Christus ut homo illum Patri exhiberet & mente, & corpore. Deinde fuit hoc expediens, ut Christus omnibus modis operaretur nostrā salutem, merendo, satisfaciendo, & impetrando. Et ut nobis daret exemplum eisdem modis illam per orationem procurandi, ut latè tractat Hilarius lib. 10. de Trinit. à medio, & Ambros. lib. 5. in Luc. cap. de oratione Iesu in monte & Damascen. lib. 3. cap. 24. August. epist. 121. cap. 14. Vbi dicit voluisse Christum interdum ita orare ut non exaudiretur, ut nobis esset exemplum patientiæ, quando non sit quod petimus.

**Orationis acceptiones D. Thom.**

**Christus verè orauit**  
Luc. 22.  
Ioan. 11.  
Matth. 11.  
Ioan. 12.  
Hebr. 5.

**Hilarius**  
**Ambros.**  
**Damasc.**  
**August.**

**Dubium.**

**Ioan. 11.**

**Chrysost.**

**A** gratias egisti. Vbi, quod ipsum exaudisset. Vnde Chrysostom. ibi homil. 63. & Euthym. ibi, & Chrysost. Ambros. lib. 4. de fide capit. 3. ita exponunt illa verba: quia Christus subiunxit, *Ego autem sciebam, quia semper me audis*, ut illa ad diuinitatem Christi referant. Vnde ita exponunt, *Gratias tibi ago, non quia indigeam precibus coram te, scio enim vnā voluntatem me tecum habere, ideoque semper vel le, quod ego volo, sed propter populum, qui circumstat*, &c. Et Theophyl. aduertit, Christum, ante quā orasset, vel aliquid petisset, dixisse, *Gratias tibi ago, quia audisti me*, quia enim non opus habebat oratione, non fuit oratio exaudita, sed voluntas impleta, & hoc fuit Christo exaudiri iuxta phrasim Scripturæ, secundum illud Psalm. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*, & Job. 31. *Desiderium meum audiat omnipotens.* Et confirmatur ex Damasc. lib. 4. de fide, cap. 19. circa medium, ubi inquit, quædam dici de Christo homine simulationis modo, *Vi cum precatur*, inquit: & subdit. *His enim, & similibus, neque vi Deus, neque vi homo opus habebat, verum ratione humanitati congruente ad id se confirmabat, quod vsus, atque vtilitas poscebat, verbi gratia, ob eam causam precabatur, ut se impium quendam, Deiq. aduersarium minime esse demonstraret, atque vi Patrem, à quo originem ducebat, honore afficeret.*

**D**icendum tamen est (sicut in articulo primo circa solutionem ad primum adnotauimus) primum, Christum verè ac propriè orasse postulando, & simpliciter petendo aliquid à Patre, ut ex Evangelio constat. Ex quo fit consequens, scpe ex diuina providentia & ordinatione ita fuisse res dispositas, & prædefinitas, ut multa fuerint à Christo homine per orationem impetranda, quæ sine illius oratione non fierent. Sicut enim non redemisset homines, nisi pro illis pateretur, quia ita fuerat à Deo præscriptum, & præordinatum, ita neque sine oratione obtinuerit, quæ non nisi per orationem obtinenda erant, iuxta diuinam præordinationem. Vnde sicut necessarium fuit illi pati, ut ita intraret in gloriam suam, & nos secum in illam introduceret: ita necessarium fuit illi orare ad impetrandum multa, quæ per orationem obtinuit: iuxta illud Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*: at verò sicut necessitas passionis ad redemptionem nostram non fuit ex defectu personæ, aut quia Christus non esset sufficiens infinitis aliis modis, vel operibus illam perficere, sed quia propter congruentes rationes Deus illam ordinavit ut necessarium medium ad illum finem: ita hæc necessitas orationis non fuit ex indigentia ipsius personæ, aut quia per se non sufficeret ad efficiendum per humanitatem absque petitione, quidquid petendo obtinuit, vel effectus, sed quia propter rationes congruentes, & ad diuinum honorem, nostramque vtilitatem pertinentes, ita à Deo fuit ordinatum, & dispositum. Itaque vno verbo dici potest, Christum simpliciter non indiguisse oratione, quia propter dignitatem personæ potuisset, quidquid veller sine oratione perficere, & de facto habuit etiam in humanitate sua potestatem faciendi miracula, imperando & volendo sine necessitate orationis. Nihilominus tamen in sensu composito, id est, supposita diuina ordinatione, multa non potuit in quantum homo sine oratione perficere, ut D. Thom. docuit, quod non negant citati Patres, sed priorem huius doctrinæ partem docere voluerant. & hic est sensus Chrysost. Ambros. Theophyl. & Euthy. Qui faciliè etiam potest ad locum Ioannis accommodari, quanquam quod Christus dixit, *Ego autem sciebam, quoniam semper me audis*, satis commode, & fortasse magis ad literā, de Christo ut homine intelligi potest, cuius oratio absoluta & efficax semper exaudita est, ut ibi D. Thom. rectè exponit. Quod verò sequitur, *sed propter populum, qui circumstat, dixi, &c.* optimè intelligi potest (sicut

**Theophyl.**

**Psalm 91.**  
**Job 31.**  
**Damasc.**

**Oratio quomodo Christo necessaria fuerit.**

**Psalm. 22.**

**E** M m m 4 Diuus



